

2817. XIV, 3-25 — Carta do imperador Maximiliano a el-rei D. Manuel na qual lhe pedia que fovesse Diogo de Aro. Lira, 1517, Março, 24. — *Pergaminho. Bom estado.*

*Maximilianus* divina favente clementia et romanorum imperator semper augustus ac Germanie Hungarie Dalmacie Croacie etc<sup>a</sup> rex archidux Austrie dux Burgundie Brabancie etc<sup>a</sup> comes Palatinus et serenissime princeps frater et consanguinee carissime salutem.

*Cum* incremento mutui fraterni amoris et omnis boni intelliget serenitas vestra ex litteris serenissimi filii nostri carissimi regis catholici et serenissime filie nostre carissime ac specialium fidelium nobis dilectorum civium magistri et scabinorum oppidi nostri Antwerpie que pro parte fidelis nobis dilecti Didaci de Haro familiaris nostri a serenitate vestra pro satisfactione equitatis fieri desiderantur. *Et* licet prefatorum serenissimorum filiorum ac subditorum nostrorum intercessio apud eam non sit modicum habitura pondus ne tamen nos precipue tam grato familiari nostro qui et nobis et dicto serenissimo filio nostro non minus liberaliter quam impigre inservivit deesse videamur eandem serenitatem vestram majori etiam studio hortamur et pro mutua nostra benivolentia enixe etiam rogamus velit in re tam equa quam justa communi omnium voto nostro satisfacere seque ita exhibere erga agentes nomine ipsius Didaci ut re ipsa cognoscat et omnium nostrum intercessionem sibi non vulgariter profuisse et serenitatem vestram summum justicie esse zelatorem cui nos etiam parem vicem omni fraterno officio reddere non erimus immemores.

Datum in oppido nostro Lyra die xxiiij<sup>ta</sup> mensis Marcii anno Domini  
M.D.xvij. Regnorum nostrorum romani xxxij<sup>do</sup> Hungarie vero xxvij<sup>mo</sup>.

Maximilianus

Ad mandatum Caesarie majestatis proprium.

Ja... Spieragel

(A. E.)